



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *QUO FIRMIORES* IN REPUBLICA MOZAMBICI NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Quo firmiores reddantur magisque in dies fiant frugiferae necessitudinis rationes inter hanc Apostolicam Sedem et Rempublicam Mozambici hoc ipso die feliciter initae, simulque aptius provideatur spirituali regimini atque progression catholicorum fidelium illic degentium, Nobis peropportuno videtur in memorata Natione Apostolicam Nuntiaturam condere. De communi igitur utriusque partis voto, audita quoque Congregatione pro Gentium Evangelizatione, summa Nostra potestate harumque Litterarum virtute in Republica Mozambici Nuntiaturam Apostolicam constituimus, factis omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis, quae huiusmodi Legationum, praesertim in territoriis sub iurisdictione Congregationis, quam diximus, positae, propriae sunt. Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Decembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri duodevicesimo.* ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana